



Sigfridus baro ab Epstein uir fuit pietate & doctrina suo tempore doctissimus. Itaq; omnium consensu 24. Archiepiscopus Moguntinensis electus fuit. Præsidebat eo tempore Romæ Hildebrā dus astutissimus monachus, quise Gregorium septimum dixerat. Hic cum mirum in modum Ecclesiam turbaret, atq; beneficiorum Ecclesiasticorum collationes ab Imperatore Heinrico 4. ad se rapere, & sacerdotibus uxores auferre cuperet, Sigfridus Cæsarea authoritate cum Germaniæ Episcopis Vuormatię synodum celebrauit, ut ea de re in uicem deliberarent, atq; ex sacrarum literarum sanctorum patrum et Conciliorum decreto aliquid certi statuerent. Aderant Vdo Treuerensis, Vuilhelmus Traiectensis, Heinricus Metensis, Heinricus Leodiensis, Richardus Verdunensis, Bibo Tullenensis, Hermannus Spirensis, Burckardus Halberstatensis, Vuernherus Strasburgensis, Burckardus Basiliensis, Otto Constantiensis, Adelbero Vuirtzburbenensis, Ruodbertus Babenbergensis, Otto Ratisbonensis, Elingardus Frisingensis, Vdalricus Eystetensis, Fridericus Monasteriensis, Eilbertus Mindenensis, Hezil Hildesheimensis, Beno Osneburgensis, Ebbo Neiuburgensis, Imandus Paderbornensis, Thiedo Brandenburgensis, Burckardus Lofannensis, & Bruno Viennensis ad Rhodanū, cum multis alijs prælatis & uiris doctissimis. Illi re deliberata pontificem literis suis erroris admonent, ei periurium ostendunt, malas artes inculcant, atq; nisi resipiscat officio papatus deponunt, id quod ex literis ipsis ad pontificem scriptis fusius patet, quæ extant in loan. Stumpffij Heluetica historialib. 4. cap. 42. Cum hoc modo per 24. annos rebus præfuisset, tandem 1084. magno suorum luctu uita functus est. Anon.